

per Lusitanus, (f) post varia Hippocratis & Galeni allegata loca, notum his viris hunc morbum fuisse, fiderter adserit. Sed Benivenius (g) anno quidem 1496 ab Hispania cœpisse credit, antiquorum tamen Lichen seu Plinii Menta gram hoc malum facit. Ita autem Plinii locus habet : *Hist. N. I. 26. c. 1.* *Sensit & facies hominum novos, omnesque ævo priori incognitos non Italiæ modo, verum etiam universæ prope Europæ, morbos tunc quoque nec tota Italia, nec per Illyricum Galliasque aut Hispanias magno opere vagatos aut alibi quam Romæ circaque, sine dolore ullo aut pernicie vitæ, sed tanta fæditate, ut quæcumque mors præferenda esset.* Nec desunt, (verba sunt Casauboni in Not. ad Sueton.) qui subtile tumores faciem Cl. Tiberii Cæsar is deturpantes, pustulas venereas fuisse, arbitrantur. Adferri etiam Corn. Celsi de Medicina lib. 6. caput 3. solet, ubi de Sycofi loquens, morbo à fici similitudine Græcis sic dicto, frequenter in istis partibus esse dicit, quæ pilis conteguntur. Efficacius hæc ægritudo à Martiali Poëta, mordaci, si quis ali-us, depingitur, dum Basso cuidam insultans, lib. II. Epigr. 99. sic canit :

*Effugere non est, Basse, basiatores;  
Non ulcerus acre, pusulæve lucentes,  
Nec triste mentum, sordidique lichenes,  
Nec labra pingui delibuta ceroto,  
Nec congelati gutta proderit nasi.*

Idem Cæcilianum ganeonem (infucata forsan aliquando merce ab eo deceptus, si quid tale de viro nobili & literis clara suspicari liceat) sic perstringit : lib. 7. Ep. 70.

*Ficosa est uxor, ficosus & ipse maritus,  
Filia ficosa est, & gener atque sacer.  
Nec dispensator, nec villicus ulceretur turpi,  
Nec rigidus fossor, sed nec aratore eger.*

Dodonæus (h) præterea Antiquis hunc morbum notum fuisse sibi persuadet, verum sub nomine pustularum vel ulcerum

A 2 tunc

(f) *Hist. Med. Lib. I. qu. 35. hist. 73. & Pr. Med. Admir. I. 3. Obs. 94.*

(g) *Med. Observ. cap. I. (h) Annot. in Beniv.*